DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROCEPHALO ACUTO.

5

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROCEPHALO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS BRACKENBURY BOUSFIELD,

ANGLUS,

SOCIET. REG. MEDIC. EDIN.

SOC. EXTRAORD.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1807.

EDVARDO HARRISON, M. D.

CUJUS CONSILIIS

TAM AMICI, QUAM PRÆCEPTORIS

TANTUM VICIT ARTIS SUÆ,

PAUCAS, QUÆ SEQUUNTUR, PAGINAS,

QUO DECET ANIMÒ,

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROCEPHALO ACUTO.

PROŒMIUM.

De hoc morbo dissertationem primam accuratam, in tomo tertio operis "*Edinburgh* "*Medical Essays*" dicti, edidit Dominus Paisley, chirurgus Glasguensis. Illius vestigia proximus pressit cl. Dr Whytt, cujus opusculum optimum animum medicorum sibi vindicavit ; et hinc morbus ipse curam medicorum asseruit. At minimè huic ævo novum incubuisse malum fas erit nobis credendi ; quippè cujusmodi fidei, omnia de causis hujus morbi atque naturâ nobis visa, multùm

adversentur. His auxilia accedunt, quæ sparsa invenimus omni ferè ætate scriptis, cujus res medicâ in arte gestæ nostris manserunt temporibus. Vocem nostrâ parte BURSERIUS citavit HIPPOCRATIS, cui nimiam cum hoc morbo fuisse familiaritatem, quæ sequuntur verba nobis erunt indicio. " Si aqua in cerebro fuerit, dolor acutus per sinciput et tempora emergit, aliàs alio loco; et rigor, et febris; aliàs, et regiones oculorum dolet, et cæcutit, et pupilla finditur, et ex uno duo se videre putat; et si surrexerit, vertigo ipsum corripit, et ventum non sustinet, neque solem, et aures tinniunt, ac inter audiendum strepitu offenditur; et vomit salivam, ac pituitam, quandoque etiam cibos, et capitis cutis extenuatur, et contactu gaudet *."

Pluribus, quæ in libro Doctoris QUIN inveniuntur, morbi obscuriora detegentibus, subjiciuntur variæ sententiæ auctorum, quos florentes secula duo novissima videbant. Hi omnes

* Lib. ii. de Morb. n. 15. edit. Marinell.

omnes morbum inde extitisse inscii testantur. Haud pretium nobis foret temporis, quæstionem ulteriùs sequi.

Huic morbo maximè sunt opportuni infantes, impuberesque: at neque minùs adulti etiam homines aliàs vi ejus succubuerunt.

Cel. Prof. GREGORY in curam talia decem ferè exempla inciderunt. Similium aliorum FOTHERGILL, MONRO SECUNDUS, QUIN, neque hi solùm, meminerunt.

Strumosos, quod apparet, plerumque occupans, robustâ fruentes valetudine nunc subitò morbus corripuit. Ita semper rem accidisse accuratissimo FOTHERGILL, mirum nobis certè videtur. Quùm multis in ore, tùm verisimile est, infantibus, quibus vivum ingenium adsit acreque, hunc morbum præ aliis gaudere.

HISTORIA MORBI.

Hunc morbum plerumque antecedit corpus languidum inersque. Marcet animus. Iram facilè concipit æger, quippè cui malè se habenti sint omnia ferè molesta: elucet verò subindè, fugax tamèn, ingenium alacre salutis. Cum pallore corpus emacrescit. Urget nausea, haud raò vomitus, semel aut bis die. His valetudinis adversæ signis accedit febris, modò vehemens incertis cum remissionibus, modò vesperem versus certâ lege ingravescens. Cutis arida, fervida; sanguinis cursus celerior, minùs valens, morbi notæ inveniuntur. Albâ sæpè crustâ obducitur lingua, non raò autem sordibus omninò caret. Intereà vexatur æger dolore, qui maximè frontem occupat, verticemve; aliàs dimidium tantùm infestat capitis, quod, erecto corpore, lateris ejusdem incumbit humero. At neque doloris certa est ratio semper, sedesve per totum morbum certa. Ima sæpè vertebra colli, et quod inter scapulas

scapulas hæret spatii : non rarò viscera, aut artus eâdem lege cruciantur, quâ capiti fertur auxilium. Alternis vicibus urgent nonnunquam vomitus, dolor. Alvus plerumque adstricta cernitur, ægrèque solvenda : at neque hoc semper, quùm intestina laxiora subindè tormina vexent. Oculi teneriores lumen refugiunt. Nasum carpit æger digitis, dentibusque stridet, et somnum, cui rarissimè præ dolore succumbit, voce clamans perterritâ brevem excutit.

His morbi signis diutiùs breviùsve urgentibus, qui anteà celerior fuit præter naturam, nunc tardior fit pulsus. Sexagesimâ horæ parte sexagies aut quinquagies solummodò moventur arteriæ, febre aliter nihil imminutâ. Graviter atque in perpetuum gemens æger jacet, neque infelix quærentibus ea, quæ cruciando vitam sensim obruunt, valet exequi verbis. Intereà oculi distorti, ad nasum modò, modò ad tempora, respiciunt, ita ut ab ægro duplex idem omne cernatur.

His

His instat haud rarò delirium, vi atque permansione aliud aliis exemplis. Sæpè vermes inferiùs redduntur. Est anima maximè fœtida. Jam interdum subsident graviora morbi: unde oriuntur adstantibus spes, quas omnia in pejus brevi ruentia nascentes necant. Citiùs, quàm licet numerare, tremunt arteriæ. Infaustam hanc morbi vicem excipiunt, aliis verò prænunciant exemplis, torpor, coma. Non ampliùs vomit æger. Unius palpebræ vel alterius solvuntur nervi, oculis ipsis hebetibus sensu omni carentibus. Manu ægri perpetuò caput stringitur. Quædam interdum corporis solvuntur membra, aliàs velluntur: omnium aliàs fit distentio nervorum. Partim sæpè oris ex calore aucto incandescit rubore, partim ejus cum labiis pallore frigido incumbente. Sanguis nonnunquam e naribus fluit. Truncus interdum corporis, cui æquè ac artubus insidant maculæ diversè latæ, sudore digeritur calido. Urinam et fæces reddit inscius æger. Fit interdum ut ii, quibus anteà alvus fuisset adstricta, prolu-

vie

vie atque torminibus laborent. Conatibus plurimis vix spiritus trahitur, quo rejecto, paulisper requiescunt pulmones: stertore quodam suo officio functo. Vix aut nil vorant ægri, qui nunc plerumque, vi nervorum distentâ strenuè luctantes, fato demum defessi succumbunt.

Talia hoc morbo maximè tali ratione eveniunt. Aliis autem exemplis alia certè inveniuntur: nec eâdem veritatis lege constringere, quæ de hoc morbo multa scripserint varii auctores, sit facile semper negotium.

Quibusdam exemplis tàm remisit morbus, quàm ei haud parùm opitulari visus sit cortex Peruvianus: at falsa spes fuit, et brevissima. Ægrum nonnunquam mors occupavit, nullâ, nisi dolorem capitis excipias, occurrente morbi notâ; nec dolor capitis, etsi perpetuus, vehemens fuisset. Edidit exemplum Quin infantis mortui, cui hunc morbum causæ fuisse lethi patefecit cerebrum inspectum; quo autem

tem vivo, nullum adesset signum, quod talis exitûs medico timorem posset injicere. Hæc verò, quàm rariora, tàm ad usum minùs pertinent.

Quùm tres sat insignes, malo progrediente, vices pulsui accidant, ideò tot Whytt finxit stadia morbi. Hæc, quod ad temporis spatium quo singula includuntur, alios secundum auctores alia sunt: nec de toto tractu morbi magìs inter se illis convenit. Initium morbi inter atque exitum lethalem, Whytt audito, quatuor, sex, plures etiam hebdomadæ consumuntur. Tres, duasve hebdomadas secundo stadio; tertio, dies quinque aut septem idem attribuit: at minùs hæc placent Doctori Fothergill, qui finibus trium hebdomadarum exiguis opus exitii omne intercludit. Ab eodem accepimus, optimam salutem inter et vim maximam morbi, punctum stare tantùm temporis hoc malo correptis. Experientiam suam ambobus viris præclàris, quamvis, quod

nobis

nobis videretur, contrariam, veram fuisse tamen, incerta facies morbi nos vetat negare.

Quod ad illa, quæ ab alvo hoc morbo excernuntur, sic à FOTHERGILL habemus: "The stools are most commonly of a very dark greenish colour, with an oiliness or glassy bile, rather than the slime which accompanies worms." Nihil, quod nobis morbum proderet, urina præbet.

QUÆ, SECTO CADAVERE, APPARENT.

IN conspectum cultro perscrutantis venit præter solitum ratio proxima morbi. Humorem aquosum in ventriculos ejus contractum detegit semper ferè cerebrum inspectum. Interdum etiam meningem duram inter atque piam, vel, ut meliùs fortassè dicamus, posteriorem tunicam inter et arachnoideam, latuit humor. Sedem occupavit aliquando quatuor omnium ventriculorum, frequentiùs

laterialium tantùm: rariùsque morbo impeditâ, quâ inter se communicant, viâ, horum unius solummodò. Copia liquoris effusi, modò unciæ unius solùm, modò semilibræ mensuram attigit. Auctore cel. MONRO SECUNDO, tres unciæ in cerebro ferè inveniuntur.

Postquàm quibusdam rarissimis exemplis omnia adversa signa, quibus patet morbus, occurrentia mortem tulerint ægro, cerebrum aquâ omninò invenitur carere, tantum autem sanguinis vasa ejus implere, quantum laticis parati arte summâ anatomicâ posset injici. Fit aliquid plerumque hujus posterioris simile, præsente aquâ; ex quo ducimur, ut credamus nimiâ sanguinis copiâ cerebrum hoc morbo laborare.

Multa absimilia ab iis, quæ sanorum, cerebris hoc morbo mortuorum inveniuntur. Crassa præter naturam dura meninx tunicis interdum hæret infra jacentibus. Tunicæ arachnoides valdè densatæ insidunt interdum

crustæ,

crustæ, reliquiæ inflammationis. Celant hæ crustæ, qui calore durescit, humorem. Tàm densè opaca visa sit dura mater, quàm quæ piæ meningi, quòd ad sensum, parùm distaret.

Mole ipsâ cerebri sæpè occurrunt vitia, quæ, varias ejus partes adorientia, quosdam secundum auctores, variam et minimè congruam speciem morbi præbuerunt. Extitit tumor nervorum opticorum, cui attentè perspecto causæ constaret fuisse humorem telam inter cellulosam immissum. Horum thalami nervorum prægressæ inflammationis notas subindè exhibuerunt.

Omnem mensuram tumorum statumque, tubercula callosa inter atque massas pure suffultas, ovum gallinaceum quod ad magnitudinem referentes, monstravit cerebrum inspicientibus. Talia septiès octièsve cel. Prof. Gregory vidit. Tumores hi aggregati modò, modò solitarii, cerebri sedem occupaverunt. Illis indolem esse strùmosam, cel. idem animadvertit:

animadvertit: quippè qui corporibus strumosis, atque ejusdem generis tumores alibi exhibentibus, maximè eveniant.

Sacculos plurimos humorem coërcentes tunicis insedisse vasorum, quibus externè stipatur cerebrum, plexuique choroides accepimus.

Abdominis visceribus patefactis, glandulæ in mesenterio sedem habentes, magnitudine auctâ, pars earum maximè dura, aliæ pure concreto farctæ atque fœtido inventæ sunt.

QUOMODO MORBUS DIGNOSCATUR.

PRIMO ejus impetu minimè certæ sunt hujus notæ morbi. Dentes nascentes, vermes, alvus adstricta, aliaque, quæ corpus irritant, turbam afferunt malorum, iis, quæ hydrocephalum faciunt, persimilium. Quò autem

difficiliùs,

difficiliùs, eò minore cum fructu dignosci morbos, licet credamus; quùm iisdem ferè signis eandem ferè causam, et inde curationem, pertinere, vix non pro certo habere possimus. Progrediente morbo, numerus, quàm fit in sanitate, minor pulsuum, aliis febris signis nihilominùs urgentibus, malum satis indicat. Ubi à vermibus pendet valetudo, dentibusve, sæpiùs quàm in hydrocephalo, membra convelli; et vexantibus vermibus, magis ventrem dolori esse ægro, plerique contendunt. Notas ab iis, quæ excernit alvus, hujus morbi putavit se haurire, quod suprà diximus, FOTHERGILL.

Ut ad summum attingamus, dolorem torquentem capitis, vomitum, alvum adstrictam, simul adorientia, semper timori esse medico hujus mali oportet: idque magìs, si propria sui labes, vel parentum, quo aliquis minatur, faveat morbo.

QUÆ MORBUM INDUCUNT.

In culpam inferre hujus morbi ætatem infantilem, absurdum certe verbum videatur: at non minùs pro certo est habendum, hanc ætatem res omnes ferè, quæ aut invitant morbum, aut faciunt, in se continere. Neque cerebrum hoc ævo vitæ moveri faciliùs, minùs posse, me judice, quivis negent. Idem movent etiam plurima propria infantum. Hanc ætatem insuper premit cohors specialis febrium, ex quibus, quod scripserint auctores, huic proclivius morbo corpus evadit. Exempla tanquam, variolam, rubeolam, habeamus. An plùs agant hæc movendo, cerebrumve infirmando, non nobis hic loci incidit statuere.

Viam facere morbo pertussim sanguine multo, quo, urgente tussi, caput gravatur, verisimile est.

His

His omnibus ritè perpensis, ultrò respicit animus ea signa, multum hæsitantiæ injicientia curantibus, quæ protulerint dentes, vermes, alvus se malè habens: vix nunc, quin credat his vexantibus tàm urgeri cerebrum, quàm, nisi illis citò succurrendum, inflammationem brevi subiturum. Provectioribus ætate hoc morbo correptis, temperiem fuisse cerebri graviùs ineptam moveri, vel cui incidisse causas assiduas magìs, quàm violentas, quæ veram inducunt phrenitidem, licet credamus.

Secto conspectis cadavere nonnihil nituntur quæ conjecimus: cava cerebri accepimus humore impleri eorum, qui, choreâ *Sancti Viti* perculsi, insanive, mortui sint.

Caput vulneratum hic morbus, scarlatinam etiam secutus est.

Præter indolem strumosam morbo magis opportunam, tumores strumosos, ubi hi inventi

venti sint in cerebro, morbum excitâsse irritando, haud vero absimile est.

Plures, quibus præ aliis imminet hoc malum, domesticos infantes, nobis interdum incidit spectare, quorum parentibus aut remotioribus sanguine nulla ejus minatio unquam adfuisset.

Vix memoratu digna, quæ de vasis ruptis lymphaticis morbum facientibus hallucinatus est FOTHERGILL, quippè quæ rebus observatis minimè nitantur.

Proximam, id quod dicitur, rationem morbi, ex cerebri inflammatione, cui aqua in cava ejus immissa subsequatur, constare, confirmant post mortem corpore secto inventa. Quantùm veræ phrenitidi hydrocephalus distat, sat apparet ab iis, quæ alteri favent morbo, eundemve faciunt.

EVENTUS

EVENTUS MORBI.

PAUCA, quæ animo placeant, nobis hìc loci venit proferre. Exemplis plurimis morbi rarissima adsunt exempla ejus factæ curationis. Neminem, cui incubuisset vis minimè dubia morbi, mortem fallere unquam WHYTT vidit. Curationem illi pertinere non nisi nuperrimè Prof. GREGORY ausus est credere. Cel. MONRO seniori eundem de hoc malo infausto esse animum, experientiâ tot annis versatâ, nobis haud parùm dolendum. Quæ nihilominùs magìs cordi sint votis, documenta certè accepimus. Ab iis, quæ medicis multi nominis DOBSON atque PERCIVAL nobis tradita sint de hydrargyri viribus, sanationem proculdubiò patet hujus morbi fieri posse. Egregium exemplum edidit DOBSON morbo convalescentis, cui contorti oculi, pessima signa, adessent; postquam tres ejusdem domi infantes anteà occupans morbus jugulâsset.

A. D. 1804, adiit Nosocomium (conclavia, quæ nobis maximè sint usui, ibi curante Doctore DUNCAN seniore), scarlatinâ laborans puella, quam, annos decem illìnc, oculis ab hydrocephalo contortis, idem cel. Professor morte eripuisset, hydrargyro ad salivam ciendam insumpto.

Vesicatoria adhibenti Doctori RUTHERFORD unus revaluit æger.

Doctori QUIN hunc morbum ter accidit discutere.

Quorsum hæc? ut omnia de periculoso, at certè subindè devicto malo, satis prolata haud minùs morbo venienti, præsidio, quàm spei, jam facto forent; ne desperando hìc, illìc parùm cavendo medicus ægro deficeret.

QUÆ REMEDIA PROSINT MORBO.

Conjecturalis magis certè, quàm empirica, hujus stat curatio morbi : et quò minùs conjecturis nostris locus inesset superbiendi, res sæpissimè malè vertentes nobis abundè impedimento sunt.

Venæsectio.—Hoc remedio vi auctæ sanguinis nobis occurrendum. Utendum est pro ætate ægri et vigore, quibus accedat etiam major minor impetus morbi oportet. Quum tutiùs forsan, tùm efficaciùs, ex insanâ parte redditur sanguis, quàm cùm per venam brachii idem fluit.

Epispastica.—Hæc remedia, naturâ morbi perpensâ, multum pollicentur auxilii. Sedem vertendo citati sanguinis, aut aqua, quæ effusa fuerit, ut hauriatur, faciendo, duplici esse usui possint. Multùm iis Quin fidit eâ ratione adhibitis, quam à Cullen olim acce-

perat :

perat: vesicatorium amplum toto capiti imponendo, et inflammationi sic orsæ alimentum unguentis acrioribus addendo.

Quæ frigus inducunt.—Convenit certè caput ad cutem tondere, et sic rasum frigidâ cum aquâ, vel hâc, aceto misto, fovere: mappæ etiam ex iisdem pressæ rectè huic imponuntur. An hæc verò præstarent externum caput irritantibus, licet dubitare.

Quæ cient alvum.—Hæc, quùm multâ vi atque variâ sint usui, rectè remedia celebrantur. Si alvus tardior, aut vermes causæ sint morbo, hos expellunt, citiorem illam reddunt. Vi quoque auctæ sanguinis obstant, et faciunt ut humores supervacanei in sanguinem resorbeantur. Horum optima sunt certè ex hydrargyro confecta, quæ, si torpentia intestina minùs moverent, accepta tamen à sanguine viribus sui propriis polleant cerebro.

Sudorem

Sudorem quæ eliciunt.—Talibus multùm contulit laudis Hunter, medicus Eboracensis, nec dubium quin remediis plùs valentibus possint esse auxilio.

Hydrargyrus sursùm inter medicamenta caput monstravit. Doctori Dobson, *Blagdunæ* olim viventi, quicquid ex ejus usu hoc morbo laborantibus fiat commodi, honori est, quippè cui primo omnium experientia fuerit ejus virtutum. Ex laudibus tàm ab illo, quàm à Doctore Percival, huic impositis, haud parum spei ortum fuisset olim medicis morbum arte suâ denique jugulandi. Etiamsi tamen plerisque hydrocephali faustè soluti exemplis, hydrargyrum adfuisse, attamen sæpiùs morbo nihilominùs superbienti, concedendum est. At certè, judicio de his rebus facto, oportet omni exemplo mali hoc remedium nos non negligere. Minùs subvenienti hydrargyro vim propriam sui infantibus ægriùs illatum aliqui causæ contenderunt, cui insuper esse torporem perniciosum, incremen-

tum

tum morbi. Præter solitum verò copiosus fluxit humor oris, signis mali per idem tempus ingravescentibus.

Utendum est aut internè hydrargyro, idve externè cuti, gingivisve inungendum. Unguentum ipso capiti imponere Dobson et Percival strenuè monent.

Parùm inter se medicis adhuc convenit de ratione quâ huic morbo pollet hydrargyrus: an humorem sorbendo, an vi sui propriâ, nec distante illi, quâ aliis vitiis inflammatoriis, siphylidi, hepatitidi, scarlatinæ, dysenteriæ, similibusque, ab illo obviam itur. Hi maturiùs, seriùs illi, secundum fidem quam habent, auxilium ejus sibi quærunt.

Quæ urinam movent.—Digitalis.—Hoc remedium, cujus auctor nobis Withering fuit, paucis verbis sat erit amplecti. Urina copiosior adhuc nullum levamen morbi attulit. Ex vi, quâ pulsum premit digitalis, primò vigente

vigente morbo, commodi aliquid oriatur verisimile.

Caput ægri sublime est tenendum. Pedes fovere, quod sopiat dolorem, somnum afferat, morbo recenti possit esse auxilio.

PRÆSIDIA MORBI.

Morbo, in quem jàm factum parùm adeò possimus, venienti, nobis necesse est summis cum viribus occurrere : atque hìc feliciùs nos niti sperandum est. Ubi quivis eo invenitur habitu corporis qui morbo faveat, opus est illi omnia vitare, quæ corpus irritant, idemque quàm maximè firmare. Prodest sub Jove exercitationibus uti, ciboque, qui benè nutrit, nec ventrem onerat : imprimisque alvum secundum naturam habere. Si cerebrum laborare, sanguis è naribus indicat, aut dolor, alvus sine morâ ducenda est. Nisi hoc satis

proficiat,

proficiat, imponendum vesicatorium capiti, partibusve ejus vicinis; quod perpetuum fieri, ingravescens malum, vel nota labes ægri indicio erit. His paucis benè servatis, eos, qui nobis sint curæ, stadium vitæ, cui maximè instat morbus, impunè sæpiùs percursuros spes est.

